SALVTEM

IN NVPTIIS

M. ANTONII BVRGHESII, ET CAMILLAE VRSINAE

Principum Sulmonis

FRANCISCI ROGERII


HYMENAEVS.



VITERBII, Ex Typographia Diſcipulorum.

SVPERIORVM PERMISSV. 1619.

HYMENAEVS.


T mihi nascenti risu blanditus Apollo,
Me cõmendauit Musis altricibus: illæ
Casto suscepere sinu, cupidisq; labellis
Aonio rorem libatum fonte dedere.
Mox tener adrepsi, quà se Parnassia Laurus
Erigit, ac Soli dilectas educat vmbras.
Inde leues Erato porrexit læta corymbos,
Iussit, & æternam non desperare coronam.
Solus adhuc taceo? Vatum chorus vndique circum
Personat: argutos (& quis vetat) inter olores,
Vnus ego Musis non ingratissimus anser
Audiar: anseribus tutus custodibus olim
Iuppiter, hos merito vetuit contemnere Phœbum.
Cur non hos deceat vel summo Helicone morari,
Quos Tarpeia aluit sublimi in culmine rupes?
Arcem nempe truci somnus cum proderet hosti,
Peruigiles acri cecinerunt classica cantu,
Relliquias miseræ premeret ne ferreus Vrbis
Somnus, & Imperio nox illa æterna maneret.
Sic, ni seruasset Capitolia peruigil anser;
Nunquã Romanos memorasses Cycne triumphos.
Roma, quod Augustis Aquilis iam nidus, ab illo
Ansere munus habet. Sed bellatricibus olim,

Læta Aquilis nunc Roma pijs. Sub Principe Paulo
Nullũ fulmen habent; niſi quod tam ſancta coruſcat
Maieſtas; agitant iamdudum gaudia pacis:
Vel, ſi bella parant; caſtis ea bella Cupido
Imperat armatus facibus; teneraſque puellas
Complexu matrum dulcem ſibi prædam Hymenęus
Abripit, addictaſque nouis amplexibus vrget.
Flent illæ. Venus alma tamen riſuque iociſque
Increpat ignaras, quantum noua gloria matris
Partubus exultet primis, fructuque ſequto
Penſet virginei damnum irreparabile floris.
Flete tamen; quamuis lachrimæ voluantur inanes,
Flere decet. Sic horti vbi gloria candidulus flos
Spirat adhuc ſuaues æſtu moribundus odores,
Ne quidquam auxilio decurrere limpidulus fons
Adproperat; ſæui rabies inſana Leonis
Præualet, & Cœli non euitabilis ardor:
Sed tamen adproperans pulchri illacrimatur amici
Funeribus; Cœli at ſaltem cecidiſſe ſub ictu
Florem, ſydereiſque rogis arſiſſe iuuabit.
Vos quoque legitimis Hymenæi cedere flammis
Ne nimis innuptæ pudeat; namque ille decoræ
Filius Vranies radiat face ſplendidus aurea,
Vitgineamque roſam caſtis ardoribus vrit.
Sic ego. Tum arridens noſtris Venus aurea dictis
Annuit

Annuit, & caſti ſimul arriſiſtis Amores.
At non arriſit Pallas (paulo ante cohorti
Virgineæ cuſtos aduenerat inclyta Pallas)
In Venerem inuehitur; iamdudum lumine glauco
Magnarum irarum prænuncius arſerat ignis.
O ſpumantis aquæ, & laſciui filia Ponti,
Mundo enixa cupidineam Venus improba flammã;
Monſtriferis vtinam latuiſſes ſemper in vndis.
Quid noſtrũ maleſuada chorum circumſpicis, atrox
Vt lupa, quæ teneras prædam ſibi deſtinat agnas?
Tu decus interimes tantum Venus effera? tu ne
Candida tam pulchra ſpoliabis pectora luce?
Gemma velut melius natiua fulſit arena;
Ipſa ſibi decus, ante nouam quàm ſerua figuram
Indueret, tenui quam vi labor extudit artis.
Sic virgo, dum intacta manet, præclara niteſcit;
Tum lux ipſa ſibi, & puris non inuidet aſtris.
Aſt eadem cupido poſtquam tractata marito
Amplexus tulerit, iam non erit amplius illa
Ipſa ſibi decus, & puris iam ſordeat aſtris.
Virgineo quid flore beatius addere Diui
Floridulo potuere choro, teneriſque puellis?
At Venus alternis roſeo ſic ore ſequuta
Perfidulum ridens, pætiſque inſignis ocellis.
Gemma velut ſolis in montibus edita nulli

Fulget, & ignota sordescit vilis arena;
Ast eadem fuluosi iuncta renideat auro
Mirantes oculos in se trahit, ac noua fulget
Nobilibus digitis, & claræ gloria dextræ.
Sic virgo, dum innupta manet, vix noscitur vlli;
Postquam eadem charo fuerit bene iuncta marito,
Ipsa sibi tum grata magis, tum cognita famæ;
Ac vitæ gaudens iucundos exigit annos.
  Et quid coniugio iucundius addere Diui
  Floridulo potuere choro, tenerisque puellis?
Vt fons, in septis purus qui labitur hortis,
Cultus Hamadriadum studio, lætisque Napæis
Inter delicias, iucundos inter odores
Fert illibatam fœdis animantibus vndam;
Ast idem, si quis sepem disiecerit horti,
Ilicet admittens armenta, ferasque, profanus
Qui sacer ante, vehat lutulentam turbidus vndam.
Sic virgo, patriumque larem, castumque cubile
Quæ colit, & matris complexu libera gaudet,
Lasciuos fugit obtutus, & conscia pulchri
Corporis, ipsa sibi formosæ mentis honores
Conciliat, miroque animi radiata sereno
Supra mortales se se effert ardua curas.
Quod si debellari eadem se passa, medullis
Hauserit insolitam flammam; tunc ipsa minorem

Se mi-

Se mirata, graues motus, animique tumultum
Sentiet, atque humiles nebuloſo in pectore curas.
Virgineo quid flore beatius addere Diui
Floridulo potuere choro, teneriſque puellis?
Vt fons, deſerto obſcurus qui labitur aruo,
Quē neque arūdo tegit, vicina nec arbor inumbrat,
Vix aut Nympharum, aut Paſtorū cognitus vlli eſt,
At ſuperimpendens illum ſi laurea ramis,
Vel frondoſa tegat platanus, vel aquatica lotos,
Sæpe viatores accedant, ſæpe ſub æſtu
Et Dryades circumſedeant, & flore coronent:
Sic virgo, dum innupta manet, ſibi ruſtica viuit,
Illa nec vrbano poſſit ſe oſtendere cœtu,
Nec cum alijs feſtas hilaris duxiſſe choreas,
Olli non Charites, non arriſere lepòres.
Aſt eadem, caſti ſi forte cupidinis æſtu
Tacta, maritalis thalami quæſiuerit vmbram;
Tunc illa vrbano oſtentet ſe ſplendida cœtu,
Et cum alijs poſſit feſtas duxiſſe choreas,
Atque illi Charites, atque arriſere lepòres.
Et quid coniugio felicius addere Diui
Floridulo potuere choro, teneriſque puellis?
Virgineo quondam præſtantes flore Sybillæ
Sæcula protulerant viuacem in multa ſenectam:
Dedignatæ vtero mortales edere fœtus.

Immenſum anguſto geſtarunt pectore Numen,
Claraque veridica fudere Oracula voce.
Virginitate quid ò diuinius addere Diui
Floridulo potuere choro, teneriſque puellis?
Prima Parens hominum gremio exceptura maritũ
Legitimo ſe ſe totam permiſit amori,
Caſtaque fœcundis addixit pectora flammis;
Hinc propagatum genus hoc in ſæcula durat;
Hinc licet, & magnis diuiſum gentibus Orbem
Adſpicere, & ſceptris latè Florentia Regna.
Et quid coniugio diuinius addere Diui
Floridulo potuere choro, teneriſque puellis?
Quò vos, quò Diuæ certandi prouehit ardor?
Iudicè mortali (ſi fas) componite lites.
Par eſt Virginitas Cœlo, par inclyta Diuis,
Humanæ longe ſuperans faſtigia laudis;
Sed ſoli fœcunda ſibi, decorumque ſuorum.
Fertilis ingenio periturum haud reſpicit Orbem.
Publica coniugium res eſt, communia ſpectat
Commoda; Quid faciles diuinius addere Diui
Floridulo potuere choro, teneriſque puellis?
At vos quid tacitos video, queis tradidit artes
Aſtrorum dux ille ſuas, cantuſque repertor?
Hic decet illuſtri vos hic depromere cœtu,
Quid ferat ingenium, quantũ nouus excitet ardor;
Publica

Publica dum exhilarant felicem gaudia Romam,
Dum celebratur Hymen, totaque exultat in Vrbe.
Iam dudum optanti quam parturiebat Olympo
Tandem Aurora diem peperit, qua regius Ales
Fulminis oblitus casto famuletur Amori,
Et qui liber erat volitans popularibus auris,
Nunc amet in roseis ætatem degere vinclis,
Fortunata dies nimium; non coniugis illam
E senis amplexu Tithoni Lutea mater
Concepit; dominæ fatorum Mentis at alto
Consilio, vt maneat genus immortale per æuum,
Tantum demeruit Superos Burghesia virtus.
Vix enata diem peperit ne Aurora? quid vltra
Spes Vrsina trahit, cui flos ætatis adultæ?
Non Solem pariet, sed prolem sanguine ab alto
Quam non degenerem possit ostendere Soli.
Quare agite; en alacri proludit voce Choragus;
Vos decet alternis iam respondere choreis:
Pellite humum pedibus, numeroso incedite saltu;
Aethera mulcentes, numerosos edite cantus.
 Hùc ades ò Hymenęe, veni lepidissime prędo.
Virgineum prædare chorum, sed parce tenellis;
Non bene coniugibus tradas altricis egentes:
Vix natas legisse rosas, nec durior audet
Agricola, aut sensim pubescentes hyacintos;

Lilia nec ſæuo quiſquam violauerit vngui,
Quæ nondum Cœlo niueum decus exeruere.
Hùc ades ò Hymenæe, veni lepidiſſime prædo.
Maturas prædare viris: oſtendit apertos
Cum roſa adulta ſinus, iuſto tum demetit vngui
Agricola, & carpit non inuitos hyacintos,
Liliaque, vt niueum Cœlo decus exeruere,
Atque crocos medio in calice oſtendere micantes,
Roſcidus infundit calici tum Iuppiter imbrim.
Hùc ades ò Hymenæe, veni lepidiſſime prædo.
Concha velut rubro, quæ vix enata profundo
Non bene adhuc ſolidæ concreuerit imbrice teſtæ,
Natiuis agit in thalamis concluſa, nec vllos
Ab Ioue fœcundo poſcit virguncula rores;
Hanc ipſam, poſtquam matura adoleuit, & vndis
In medijs pulchro generandi exarſit amore;
Pronuba conciliat: tum Cœlo Aurora marito
Exceptare ſinu rores, & ſemen hianti
Suadet, & ætherio gemmarum opuleſcere fœtu.
Sic, cui turgidulæ nondum florere papillæ
Cœperunt, dulci cum matre puellula viuit,
Nondum nota ſibi nullos ſuſpirat amores:
Aſt eadem, matura viro cum venerit ætas,
Cum primũ emergunt laƈtenti germine mammæ,
Iam tum, quid ſit amor penitus non inſcia viuit,
Diui-

Diuinatque animo quiddam, tacitaſque ſubinde
Naturæ voces audit, ſed murmura tandem
Clamorem erumpunt in apertũ, vt matris honores
Ardeat, expertem thalami nec degere vitam.
Hùc ades ò Hymenæe, veni lepidiſſime prædo.
Maturas prædare viris, ſed parce tenellis.
Qualis in aerio prædatrix ardua fluctu
Remigio alarum, roſtroque inſignis obunco
Viſa procul niueis alba de turre columbis
Suſcitat ingentemque fugam, mutumue timorem,
Talis ades nimium teneris Hymenæe puellis.
Quod ſi vni è numero rapidos infixerit vngues
Trux Aquila,& pedibus miſerandã euiſceret vncis;
Omnes ſemianimes vnius funere cernas;
Tantum fulmen habet ſæuę præſentia cædis.
Sic vnam è numero ſi forte Hymenæe puellam
Abripias, omnes tum protinus expalleſcunt,
Et comitem perijſſe ſibi, ſociamue queruntur.
Connubium ſic pœnè graui pro funere ducunt.
Tanta ne cum teneris tibi lis Hymenæe puellis?
Hùc ades ò Hymenæe, veni lepidiſſime prædo.
Simplex turba viden? Limis te ſpectat ocellis,
Quoſque ſimul tecum duxiſti, Diue, maritos,
Illæ etiam trepidant queis gloria floris adulti?
An credunt hoſtes, quos experientur amantes?

Dudum turgiduli flendo rubuiſtis ocelli,
Quid ploratis adhuc? vbi debita cura decoris?
Sydera flere nefas; Hymenæo quærite ab ipſo
Vraniæ genitrix alto quem miſit Olympo. (reã.
Hùc ades ò Hymenææ, facẽ quate ſplendidus au-
Si qua tuam ſperat lacrimis virguncula flammam
Opprimere, ò quantum ſpes illam ludit inanis;
Monſtrifero ſub gurgite in Oceano immenſo
Fax tua viua micat, mutis facunda refulget
Armentis; generis cura hinc informibus Orcis,
Et ſua Balenæ, ſua ſunt connubia Phocis.
Parent ergo truci cui monſtra natantia Ponto,
Olli tàm placidæ nolint parere puellæ? (reã.
Hùc ades ò Hymenæe, facem quate ſplẽdidus au-
Soli concilias tu lunam, luna refundit
Phœbeam Thetidi lucem, Regnoque liquenti
Hinc vndabundi molem maris æſtus amoris
Concitat; æſtus adhuc paruo ſub pectore nullus?
Hùs ades ò Hymenæe, facẽ quate ſplendidus au-
Tu quoties Terræ cõiungitur arduus Aether, (reã.
Fœcundoque ruens imbri, magnaque procella
Vim rapidam, & ſæui ſtimulos teſtatur amoris;
Conciliator ades; tu fulmina, Diue, coruſcas;
Aeternamque facem nubes quatis inter aquoſas.
Ergone cui Tellus, cui paret maximus Aether,
Virgineus

Virgineus parere chorus detrectat inermis ?
Concute, Diue, facem, fulmen iace splẽdidus aureũ.
Hùc ades ò Hymenæe, facẽ quate splẽdidus aureã.
At vos, ne sacram Genio contemnite flammam,
O viui flores, altæ nec mentis egentes:
Aut iuuet æterno mentis splendescere partu,
Mens in virginibus nam fœcundissima fulget;
Aut fœcunda thoro iuuet addixisse iugali
Corpora, & humanæ seriem producere gentis.
Nil decet in magno sterile obtorpescere Mundo;
Omnia parturiunt: vis Numinis incubat Orbi;
Naturæ è tenebris, labyrynthæoque recessu
Innumeras opifex educit dædala formas;
Postrema sic parte sui formosior Ales:
Cœlum sydereo pennarum imitata rotatu,
Obscuro fouet oua loco; pulcherrima donec
Prodeat in lucem soboles noua gloria matri,
Atque repente oculos in se trahat admirantes.
Hùc ades ò Hymenæe, veni lepidissime prædo.
Fer tecum, fer, Diue, facem; sit spinea quamuis
Fax tibi grata, rosam spinoso imitabitur igni;
Nempe voluptatis nunquam rosa germinet vlli,
Quem non vel leuiter tentarit spina doloris.
Nocte veni, quamuis venias tu nocte, micabit
Fax tua virginibus phœbeo clarior Astro.

Fer

Fer tecum, fer, diue, facem; nam furta tenebras
Semper amant, gaudent sed aperta luce rapinæ:
Tu furta odisti, raptoris nomine gaudes;
Furta decent pauidos, fortem decuere rapinæ.
Hùc ades ò Hymenæe, veni fortissime prædo!
Quis non audiuit veteris miracula famæ?
Cum gelidus Boreas flammis exarsit amoris,
Matris ab amplexu sibi cum violentus amator
Abripuit miseram, ferus, ah ferus Orithyam.
Hos mores Hymenæe doces, hæc efferus audes?
Hùc ades ò Hymenæe, sed ò sæuissime prædo
Mores pone truces, alios nunc indue vultus.
Cui non Dardanij Paridis notissimus ardor,
Filia Ledæi cum formosissima Cycni
Bubonem, aut vlulam misero se præstitit Ilio
Fax tua cum magnæ succendit pergama Troiæ,
Pergama, quæ geminis obsedit Græcia lustris.
Quæ pubes geminis defendit Dardana lustris.
Proh scelus, ergo Pari tibi pluris adultera turpis,
Quàm patria Vrbs & aui quàm Regia Laomedõtis?
Hos mores Hymenæe doces? hæc prælia mõstras?
Hùc ades ò Hymenæe, sed ò sæuissime prædo
Mores pone truces, alios nunc indue vultus.
Cui non nota ferox vix natæ infantia Romæ,
Pronuba virginibus cum se Bellona Sabinis
Intulit

Intulit irrumpens armato milite turmas
Cuſtodum, & patriæ diſiectans tèla coronæ;
Marte ſatum populum connubia an iſta decebant?
Raptores Orbis tales genuere rapinæ?
Hos mores Hymenęe doces? hęc pręlia mõſtras?
Hùc ades ò Hymenææ, ſed ò ſæuiſſime prædo
Mores pone truces, alios nunc indue vultus.
Sit vis iſta procul. Paulo ſub Principe leges
Imperitare decet; vis vnica regnat Amoris,
Quæ matrum è gremio rapiat, donetque puellas
Coniugibus: quòd ſi plorent, tu ſæuior inſta;
Illas ſæuitia hæc iuuat, at clementia lędit.
Cernitis? en feſtinat Hymen, propiuſque refulget
Candidus, Idalium pura face prouocat aſtrum.
Heſpere quid tentas, Hymenęi vincere flammam?
Nam te cur ſolito radiantior ætheris arce
Exeris? ambitio num vos quoque ſydera tangit?
Præripere & palmam iuuat, & præfulgere Diuis?
Hùc ades ò Hymenææ, veni lætiſſime Diuum.
Heſperus ecce tibi geniali militat aſtro
Adſpicis vt ſplendeſcat? Amor ſplendeſcit in illo;
Nunc Amor ingentem teneris accendere flammã
Pectoribus meditatur, amat victoria curam:
Securis obrepit Amor, cęcumque medullis
Vulnus alit: nimium ſecuras eſſe puellas
Quid

Quid iuuat? an vinci melius, quàm vincere credūt?
Huc ades ô Hymenæe veni gratissime prædo,
Te tua præda vocat; castæ erubuere puellæ;
Ne properes Hymenæe, sinas adolescere prædam;
Te tua præda rogat supplex chorus innuptarum;
Hanc tibi præda morā pensabit fœnore magno.
Adspice; lacteolæ nondum tumuere papillæ;
Quis furor, inuitum sub acerba nectar ab vua
Exigere, & prælo liuentes ferre racemos?
Aurea cum mites vindemia coxerit vuas,
Cum tibi purpureos ostenderit vua racemos;
Tum tibi sponte sua matura nectar ab vua
Effluet, ebriolum tum te fœcunda voluptas
Reddet, & argutos nimis exhilarabit ocellos.
Sed quid ego hic leuibus nequicquā colloquor auris?
Atque atque accedens vibratior Hesperus ardet,
Fulminat, & nullo teneras discrimine mentes.
Hespere virginei quis floris acerbior hostis?
Qui tentes illo castas spoliare puellas,
Et Veneris flammam teneris inferre medullis;
Hos ne decet nitido mores incedere cœlo?
Hæccine tam purum deceant contagia sydus?
Hespere adhuc properas? Reginā en alloquar ipsā.
Alma Venus, cui flos astrorum Lucifer alto
Fulgescit Cœlo, florum Rosa nobile sydus

Fulgeſcit terris, roſa virginitatis amorem,
Quæ ſibi præcipuum ſpinis armata fatetur;
Diſcordant ne adeo tua munera? cur Hymenæo
Aureolamque facem, radiataque commodat arma
Heſperus, vt miſeras queat expugnare puellas
Ante diem? ſit fas tenero ſua caſtra pudori
Hoſtis ab incurſu ſeruare, Cupidinis aſtus
Sit fas eluſiſſe, tener dum floſculus horret
Proſtitui duro creſcentia dona colono.
Si quæ iam matura viro, ne differ Amoris
Tradere legitimis vrendam Cypria flammis.
Aurea ceruicem roſeam quæ ſub iuga mittat
Virgo libens, apte quæ munia comparis æquet,
Illa quidem fruſtra viduo terat ocia lecto.
Sed tu præcipue geſtit, quam Roma tueri
Sydereis flagrantem oculis, cui plurima vultū
Flora pudoricolor vernos afflauit honores;
Creuit in Vrſinis tibi quæ formoſa roſetis;
Burgheſio tandem Heroi Citherea Camillam
Trade bonis auibus, ſed quid felicius inuicta-
Alite, quæ dominam alarum complexibus Vrbem
Protegit, & diæ tutatur fulmine Pacis?
Delicias auguſta ſuas Pax vndique fudit:
Vrſinæ en tibi, Diua, Roſæ, quæ germine pulchro
Alta coronarunt felicis mœnia Romæ;

Has

Has tibi non teneri ſanguis generauit Adonis
Intempeſtiuos imbelli è funere riſus:
Sæua ſed ob patriam pugnando vulnera paſsi
Heroes peperere tuo noua gaudia Marti,
Vrſini Heroes; gremio ſuſcepit alendas
Gloria, & æterno coniunxit fœdere lauris,
Nunc Aquilæ coniungit Hymen: Rex ille volucrũ
En roſeo recubat nido, flammaſque maritas
Concipit, & læto Solem clangore laceſſit.
Sol ades ò Mundi vita inferioris, ab arce
Aetheria geniale iubar iaculare ſuperbos
In thalamos; Hymenæus eris tu ſcilicet alter
Claris coniugibus; thalamiſque illuſtribus aptus.
Te Natura parens Hymenæum prouida Mundo
Præpoſuit curſu certo, certoque recurſu
Diſtribuentem imis vitalia ſemina rebus:
Tu fluxum reparas Orbem, teque auſpice Tellus
Redditur omniparens æterno iuncta marito.
Sed ſatis es remoratus, abi quò te ire neceſſe eſt,
Quòque vocant mundi leges, ac iura Tonantis;
Heſperus exoritur pro te, placiduſque renidet,
Atque nouos thalamos radijs inſignibus ornat.
Heſperus en Soli morienti ſplendidus hæres
Succedens altum inuadit dominator Olympum;
Præcipue noua nupta tibi iubar exerit aureum;

Quin Virgo idalium, quin ſuſpicis inclyta ſydus?
Illa ſuſpicies proprios in imagine ocellos;
Cœleſtes tibi ſunt oculi, cœleſtior illis
Mens nitet; ornatuque omni compoſta refulget.
Heſpere virginei qui floris amabilis hoſtis
Proponis teneris connubia læta puellis,
Quam ſibi Burgheſius coniunxerit Heroinam
Adſpice; nil illa formoſius vlla tulerunt
Sæcla; ſed egregiæ par eſt ſapientia formæ.
Tu velut innumeris circumfulgentibus aſtris
In te mortales oculos tamen attrahis vnus,
Nec pateris toto quidquam ſpectabile Cœlo;
Virgineo ſic Roma choro pulcherrima quamuis
Fulgeat, & Veneris teſtetur dona parentis:
Vna Camilla ſibi decus inſuperabile formæ
Vendicat, atque oculos præſtanti luce moratur;
Nec patitur tota quidquam ſpectabile in Vrbe.
Heſpere cœleſtem Veneris te dicere gemmam.
Poſſumus, æternum clari beryllon Olympi;
Te te Vrſina ſuis en laudibus Heroina
Prouocat, ah, merito, ſi tu ſapis, Heſpere cedas.
Olli quam ſimilem vidiſti, quamue ſecundam?
Seu cum Orbi noſtro te fortunata remittit
Inſula, ab Herculeis tibi cum patet vſque columnis
Africa læta dolis, atque armipotens Europa;

Seu

Seu cum matutinus agis te mollibus Indis
Ditem prospectans Asiam, pictumque Gelonum,
Thuriferosque Arabas, & Persidis inclyta Regna.
En quamuis teneri flos ipse tenerrimus æui
Nunc nunc precipue vernantes efferat annos;
Pectore constanti virtus adamantina fulget.
Tu modo producis nocturnas Hesperus vmbras,
Tu modo præuertens Auroram Lucifer exis.
Illa malas animi, turpesque exosa tenebras
Aeternum dio radiabit Lucifer igni.

Hespere quam similem vidisti, quamue secundã?
Iure igitur penito concepit pectore flammam
Burghesius Iuuenis; Dominã vocat ecce morantẽ.

Quid trepidas noua Nupta? metus in gaudia ver-
Nam simul, ac teneras immitia mala papillas (tes:
Iusserit alma Venus dulci lactescere rore,
Pectoris & fontem soboli patefecerit almum:
Tum tibi iucundis feriat vagitibus aures
Infans aureolus, Patrique simillima proles
Materno tunc ipse animus lactescet amore.

Sed nos dum canimus; vrget nox humida cursus,
Virgineumque metu iam cor propiore lacessit.

At tu ne propera, teneroque ignosce pudori,
Ne propera mala nox teneris inimica puellis,
Nox terræ soboles, Erebi germana profundi;

Tune tuis tenebris funèſtas horrida Mundum?
Tu Cœlum inuadens trepidantibus erigis aſtris
Pyramidem vmbrarum victo de Sole trophæum?
Quid peius ſæui, quid tentauere Gigantes?
Quid noctem increpitas? cõuicia nulla meretur.
Hùc ades ò bona nox cupidis iucunda maritis,
Quamquam diſſimulant, teneris iucunda puellis;
Furtiuos hominum quæ contemplaris amores
Peruigil innumeris oculis; quæ fræna relaxas
Dulcibus illecebris, prima cum nocte mariti
Tentant herculeum Zonæ diſſoluere nodum.
Nox age ſydereos effer placidiſſima vultus,
Cur te Mæonius diuinam appellat Homerus?
An quia multiplices Cœli nox aurea motus
Diſtincte retegis, Mundique arcana recludis?
Adſpiciam lætus tua lumina, lætus honores.
Præcipue quà magna breui furit Vrſa rotatu
Magnanimam Europam, Cœli quæ ſpectat ab arce,
Sauromatumque plagam, Riphæoſque ardua mõtes
Aeterna glacie durans, atque imbribus atris
Educat inuictas pugnaci robore gentes;
Illa mihi præ alijs magnum, ac memorabile ſydus.
Vrſa tuum veluti nunquam decus ire ſub altum
Cernimus Oceanum, ſed Mundi in vertice ſemper
Circumagis nitidos formæ ſtellantis honores:

Viuax

Viuax Vrſinæ ſic nunquam gloria gentis
Occidet; ab gelido veniens Aquilone latinos
Illa tenet montes, ſed montibus ante Latinis
Ceſſerat, exactoque annorum hùc Orbe reuerti
Debuit, atque Roſas patrio iam reddere Cœlo
Ereptas æternæ hyemi, Cœloque niuali.
Clarius Vrſa mica, diffunde ſerenius ignes.
Burgheſijs Aquilis Vrſinam dede columbam,
Burgheſio ſubſterne Roſas impune Draconi.
Mitius hoc nihil eſt, nihil eſt clementius illis.
Bella truces Aquilæ geſſerunt, horrida bella;
Principe ſub Paulo pugnam meditantur amoris.
Aurea cuſtodes ſeruarunt poma Dracones;
Burgheſij ſeruant nunc aurea ſæcla Dracones.
Clarius Vrſa micet, diffundat amœnius ignes.
Mundus in occaſum præceps reuolutus ab ortu
Arripit aduerſo tendentia ſydera motu;
Te Romane Pater populos duxiſſe volentes,
Non traxiſſe iuuat. Te Sydera ſponte ſequuntur,
Sydera purpurei ſemper veneranda Senatus;
Accepere tuos en toto pectore ſenſus.
Cur non aſtra iuuet mores adſumere Solis?
Clarius Vrſa micet, diffundat amœnius ignes.
Sol, vbi proſpectans oculis radiantibus Orbem
Viderit armiſono turbari cuncta tumultu;
Principe

Principe ſub Paulo ſe principis offeret Vrbis
Gloria miranti placido lætiſſima vultu;
Humanum ſupra morem auguſtiſſima vultu;
Tantum altæ potuit felix ſapientia mentis.
Hoc genus Heroum quid propagare moraris
Dux caſtæ Veneris caſti inflammator Amoris?
Hùc ades ò Hymenæe, veni clariſſime prædo.
Regalis te præda manet, tibi regia Virgo
Se parat, ardorique tuo caſtiſſima pectus
Deuouet; illibata Roſæ tibi purpura vernat,
Virtuteſque micant diuinæ ſydera mentis. (raris?
En Hymenæus adeſt; quid iam noua Nupta mo-
Iam te dede Viro: quæ ſe haud defendere norunt
Deditione cita victorem mœnia placant.
Se dedit illa Viro: in thalamos iam Pronuba ducit,
Regales thalamos, atque aurea veſte rigentes:
Ludere iam incipiunt, & amoris quærere palmam.
Viuite ludentes, viuentes ludite, donec
Obrepens tacite ſenium vernantibus annis
Damna æui capitis niueo ſoletur honore.
Ne tu formides Heroum floſcule, ſi quam
Irarum excierit mitem noua Nupta procellam;
Cras placata tibi, cœleſti, candida, vultu
Paciferam caſtis oſtendet amoribus Irim.
Felices tu paſce oculos, animumque ſerena

Luc e

Luce breui; Cœlum quid pulchrius Iride pulchra
Post longum ostentat lætis mortalibus imbrim?
Ast oculis postquam mirantibus euanescens
Fugerit, obscuræ remanent vestigia nubis:
Sic & forma breuis, flos iste breuissimus Aeui
Præterit, & grati spoliatos luce decoris
Exanimat vultus nondum quos vita reliquit.
Ludite: iam vobis numerosior edita surget
Magnanimum Heroum cõmixto è sanguine proles,
Quæ claros testetur Auos, & originis altæ
Præferat innata pro maiestate triumphos.
His Ducibus septem sublimius efferat arces
Roma potens, spectet cognata propinquius astra,
Vrsam, Burghesiamque Aquilã, clarũque Draconẽ.
Sat lusistis: eunt nunc alta silentia noctis;
Vos deceat lusus intermisisse parumper,
Nos importunos omnino abrumpere cantus;
Liquerit vt croceum Tithoni Aurora cubile
Ah, cito longæui senium pertæsa mariti:
Ad vestros Iuuenes tum suspirabit amores.
Tum lusus repetetis; amant noua gaudia lusus.
Dormite interea: cum Sole Poetica surget.
Vos lusisse iterum; nos at cecinisse iuuabit.

FINIS.